

tur ita scriptum esse in membranis, vt notas, et signa, vetustatis certa, neque vlllo modo dubia, ostendat. Neque vero e bonitate, et antiquitate, horum codicum recte collegi posse, quis non videt? carmina ipsa, quae in iis seruata fuere, omnia composita esse a poëta quodam melico, qui Polycratis, Samiorum tyranni, Cyriue maioris, saeculo floruerit, et cuius patria Teos, Ioniae opidum, fuerit; quum multa huic rationi repugnare reperiantur. Etenim quamquam Maximus Tyrius, Athenaeus, Hephæstio, Stobaeus, Pollux, Hesychius, Etymologici magni auctor, Eustathius, aliique, et scriptores, et grammatici, veteres multos versiculos, multas particulas, multa verba, multorum carminum Anacreontis laudant: tamen nullum locum ex quinque illis, et quinquaginta, odariis, quae a Stephano prolata sunt, afferunt, multo minus ita afferunt, vt eum ex Anacreontis libris sumtum esse ostendant, praeter odarium septimum decimum, duoque versiculos⁸ duodequadragesimi odarii. Hi enim, et ab Hephæstione,⁹ et ab Aristophanis scholiasta,¹⁰ Anacreonti diserte tribuuntur: illud Gellius protulit quodam Noctium Atticarum loco.¹¹ Quod quidem vt non dubito quin auctorem habeat Ana-

Ana-

2. si Vaticano codici veterrimo fides, — illa enim membrana — Bruncquius in notis ad odar. 5, 9. p. 93. edit. Argentor. 1. vocat Vaticanam peruetustam membranam: qui idem de hoc codice, quo continentur haec odaria, paulo diligentius disputauit in Praefat. ad Analecta vett. poëtarum Graecorum p. 9. ff. To. 1. Particula cerce quidem codicis ea, qua haec continentur odaria, scripta esse videtur saeculo fere a Christo nato decimo. Qua quidem de re iudicium facere iam quisque sponte potest, quum ista codicis folia, nu-

per Romae laminis aeneis incisa, edita sint cura Spaletii. Sed de hac carminum Anacreontis editione plura a nobis dicta sunt in Praefat. editionis nostrae tertiae. Caeterum etiam in bibliotheca Parisiensii regia est Anacreontis odarium, nesciebam quod, in charta saeculo sexto decimo quaternis scriptum, vid. Catal. codd. MSS. biblioth. Paris. regiae To. 2. p. 560. cod. 2847. n. 15.
8. v. 6. f.
9. Enchir. p. 16. Pau,
10. ad Plut. 302.
11. 19, 9.